

se immiseret & laboraret, atque alijs abjectissimis dederet ministris, eisque volens lubens ad extremum usque vitæ incubuerit. Obedientiâ conspicuus, patientiâ, castitate, penitentiâ, oratione, cæterisque ejusmodi cfulsit. Adversus Purissimam Virginem Deiparentem eximio erat amore, cui propterea famulari in delicijs habebat, Nosocomiumque non unum sub ejusdem clientela constituit & nomine. Fidem autem, Spem, Charitatemque heroicis plane exercitationibus tenuit. Nullos pro Nosocomijs suis perpetuos voluit reditus aut Patronum hominem, uno contentus, cui se & sua crederet, homine juxta que Deo, cuius Imaginem ad Cœnobij januam collocavit subscripto epigraphæ: *Ecce homo: Dominus providebit.* Nec frustratus spe, largissima à fidelibus & opportuna, etiam non quæsitâ, accepit in pauperes alendos & curandos subsidia, quos tanto saepe numero recreare prandio cœnâque consueverat, ut quadringentas quotidie portiones eis distribueret, ære campano meridie vespereque vocatis ijs etiam qui suas extra Valetudinarium sedes habebant, egestateque afflictabantur: eis præterea qui erubescerent mendicare, clam subveniebat, nullum que mæstum ab ædibus suis abire sinebat, Deo nonnunquam miraculo charitatem ejus & fiduciam juvante.

599 Nimirum, paupercula

ipsum vidua convenerat postulandi gratiâ pro suo victu farinam, cui succurrere integro faceo Sodali injunxit horrei curam habentis, hic verò reposuit statim, granarium penitus esse vacuum, pauloque ante ita scopis eversum, ut ne pulvis quidem inibi farinaceus remanserit. Nihil tamen minus illo insistente ut pergeret, imperataque faceret, mulierem secum deduxit farina custos, suis ut ipsa oculis inane cubiculum cerneret. At enim, ubi januam aperuit, exundare farina cepit, tantâque effluere copiâ, ut ipsum obrueret. Quod autem Bernardini primas curas animarum salus teneret, ijs potissimum juvandis intentus, & Sacerdotes, qui se illi junxerant Instituto, egrotantibus in supremo agone auxilio esse curabat, & Præceptores rudimentis litterarum & Catechismo pueros instituere, & id genus alia satagebat, nullumque ferme ea tempestate Mexici fuit opus illustre Dei gloriam concernens, in quod suum ipse symbolum non posuerit.

600 His profectò charus Deo nominibus, eo ut æternum fuere acuto vocatus morbo, à primarijs Medicis jussus est Sacramenta suscipere exitum illi post tres horas proximum ominantibus. Ipse tamen superno, ut videtur, afflatus lumine, secus existimaret, nec nisi decima inde moriturum se die resciret, ac suis

suis exponeret, nil moratus, sacræ expiatus Confessione, Eucharistia que in Viaticum, qua solebat frequenter pietate, susceptâ, & extremo unctus Oleo ad mortem comparavit se, quam lætus aspexit pomeridiano tempore die 12 Augusti anno 1584 ætatis 70. Lætus quidem ipse diem supremam aspexit, etusque in gaudia Mexici cives, cætera de amisso charissimo omnibus Bernardino mæstissimi, funus ejus sunt profecuti. Quod enim Ades suas hospiales maximas à S. Hippolyti Martyris & Patroni Mexici Templum constiterit, in quod ea ipsa die & sequenti quotannis universa Civitas confluit, inflaurandi ergo anniversariâ memoriâ triumphî, si quis ullus fuit pro Catholica Fide & Hispano nomine, Inclyti & celeberrimi jam inde ab anno 1521 de Potentissimo Mexicanensium Imperio relati 13 Augusti: Hanc obrem paucis à Noltri obitu horis illuc vespertinis precibus solennissimè decantandis ut adsent, præclari qui que Republicæ viri convenere. Renovatâ, ut fit, sequenti die pompâ, quæ admodum gravis & festiva est, Auditorium Regium, Mexici Rectores & Nobilissimi Equites, incredibili popularium stipant frequentiâ, iterum inibi sistantur unâ cum Religiosorum Ordinum Sodalibus multis, Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicis, & Illmo. D. D. Petro Moya de Contreras, id tem-

poris Regni Visitatore, post Archiepiscopo Mexicano & Pro-Rege, Ecclesiastico ritu festum acturis, mox vero Bernardini corpus elaturis. Dixit è superiori loco Ecclesiastes ea ætate Mexici primus, M. F. Joannes Adrianus Ordinis S. Augustini Provincialis, in Academiâ Mexicanensi Primarius Sacrorum Bibliorum, Interpreter, & qua erat pietate ac eruditione, ita SS. Martyrum decora Bernardini laudibus innexuit, ut Beatorum ipsorum Aedibus, sacris Hospitalibus ille suas junxerat, quo cum nomine & insignium virtutum opportunè ad merita & tempus Orator disertissimus extulit. Exulere demortui corpus, absolutis sacris Mysterijs, gravissimi, qui aderant, viri è Capitulo Ecclesiæ, Auditorio Regio, Senatu Mexico, & religiosis Catibus, & prope aram maximam collocarunt. Certe, vivens Bernardinus & mortuus Pro-Regibus, Archiepiscopis, & præclaris quibusque hominibus præceptus, infamis etiam, quorum curam gesserat indefesse, percharus, à cunctisque ceu Sanctus est habitus, quem totos 40. annos eximium virtutum exemplar suspexerat. Scripsit hispano sermone

Regulas & Constitutiones pro Sodalibus Ordinis Charitatis ad S. Hippolytum.

Quas Apostolicis litteris communitas supra diximus traditis ab Illmo. D. D. Joanne Diaz de Ar-

ze electo Archiepiscopo Hispaniola Tom. 2. Proximi Evangelici à fol. 12. rursusque à fol. 35. Scorsim excusas vidimus Mexici apud Didacum Garrido 1621 in 4. Editæ autem fuere Apostolicæ Innocentij XII Constitutione firmata, Mexici apud Franciscum de Ribera Calderon 1718 in quarto.

Mox citatus Author Nostri Vitam Tom. 1. ejusdem Operis Libris duobus complexus est, multis & gravissimis ad extremum momenti agens, ut de ejus Apoteosi sacra curetur, jique omnes quorum interest (interest autem plurimum Hispanenses, Mexicanos, Sodales ad S. Hippolytum) Beatificationem ejus & Canonizationem apud Apostolicam Sedem instantissime postulent. Secundo autem Tomo duobus etiam Libris aliquot Sodalium Ordinis Charitatis acta conscripsit & edidit Mexici, typis Hippolyti de Ribera annis 1651 & 1652 in quarto. Bernardini meminere, nec sine laude, Clarissimi PP. Franciscus Loza in Vita Servi Dei Gregorij Lupezij cap. 8. F. Balthassar de Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 11. num. 39. Betancurtius in Tractatu Urbis Mexicanæ f. 93 n. 193 & sequentibus. Cabrera in Gentilitijs Mexici, seu de Guadalupana Imagine lib. 4. cap. 7. P. Bonani Societatis Jesu, in Catalogo Ord. Religiosor. part. 1. fol. 60. Ejus

præterea vitam scripsit P. Franciscus Garcia Societatis Jesu.

Seculi nostri anno 49 editæ sunt Mexici, typis D. Mariæ de Ribera Tom. in quattuor Constitutiones Sacræ Religionis de Charitate & S. Hippolyti Martyris, in Occidentalibus Indijs fundatæ à V. P. Bernardino Alvarez. Porro illas ab Ordine ipso impetratas, pristinisque Regulis consentaneas, & jubente Eminentissimo Cardinali Gentili, ejusdem Ordinis Protectore, Romæ conscriptas ab admodum R. P. F. Josepho à Matre Dei, Trinitariorum nudipedum generali Procuratore; imprimi & publicari præcepit Apostolicus Delegatus D. D. Franciscus Xaverius Gomez de Cervantes Vicarius Generalis Archiepiscopatus Mexicci, qui dicti Ordinis S. Hippolyti Visitationi inebuit & Reformationi, Litteris & Motu proprio SS. D. N. Benedicti XIV Pastoralis sollicitudo, datis Romæ 23 Januarij 1743 ad Archiepiscopum Mexicanum, facultate concessâ subrogandi sibi Personam in Dignitate Ecclesiasticâ constitutam, ea Delegatione functuram, qua usus potestate Excmûs unaque Illmûs D. D. Joannes Antonius de Vizarron & Eguiarreta Archiepiscopus Pro-Rexq Mexicæ, suum sibi in id muneris Vicarium generalem suffecit.

† 601 FR. BERNARDINUS DE AREVALO, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, ut à

con-

confanguineis ibi degentibus majorum traditione acceptum habetur: Ordinem S. Francisci in Provincia SS. Nominis JESU professus, scriptos reliquit Tomos duos in Bibliotheca Primarij Cœnobij de Goatemala ejusdem Ordinis custoditos, multâ Juris eruditione constantes, ut è Catalogo ului nostro parato ab accuratissimo P. Arochena didicimus; quorum Voluminum alter est

De Immunitate Ecclesiasticâ & Sententiâ Excommunicationis, in 4.

Alter verò Expositio in illud Regule Franciscane præceptum: Fratres non recipiant denarios vel pecuniam per se vel per interpositam personam, in 4.

† 602 F. BERNARDINUS GATICA, Natione Mexicanus & Patria, Sacri Præd. Ord. professor, & Sanjacobæ alumnus Provinciæ, Lectoris munere clarus, Primarij & Imperialis Mexicci Cœnobij sui instructissimæ Bibliothecæ, quæ plusquam 10 mille voluminibus constat, Præfectus, ut erat studiosissimus, collegit latino hispanoque sermone

Excerpta è selectis Authoribus varia, soluta ligataque numeris oratione, spisso volumine in quarto, quod oprimo Mss caractere vidimus in memorata Bibliotheca ad S. Dominici. Extant ibidem Libri multi queis plurimas notas marginales ipse Bernardinus adjecit.

† 603 P. BERNARDINUS LLANOS, Natione Hispanus, Cœnæ

in Diocesi Toletana ortus, postquam Juri addiscendo operam dederat per quadriennium, Societatis JESU institutis se mancipavit anno 21 ætatis, à Christo nato 1580. Sacris adhuc non initiatus Mexiccam Provinciam adivit, quam ad mortem usque tenuit amplius 50 annis. Ex his quadraginta dedit Mexicanorum in amœnioribus litteris accuratissimæ institutioni, pro qua Opuscula publicavit mox indicanda. Ita verò hanc ornavit spartanè, simul ut fidelium confessiones exceperit, magnique virtutis nomine habitus fuerit, & adeo illustratus à Deo, ut creditus fuerit multa cœlesti afflatum lumine prædixisse. Erga Beatissimam Deiparentem egregiè fuit pius, cujus religionem in Discipulos inspirabat, traditumque fuit, ipsam Deigenitricem insigni attestatam Servo suo cuidam fuisse, Bernardinum unum ex eis esse qui sibi in terris gratiores debebant. Tandem Mexici ad cœlum, ut pius est credere, migravit die 22 Octobris anno 1639. Edidit Juxtâ Bibliothecam Soc. à P. Sotuelo auctam pag. 114.

Advertentias pro Grammatica addiscenda: & Christianam Poesim.

Christiana autem Poesis extrema pars est Institutionum mox indicandarum, incipitque à pag 374 ad usque 512, cui monitum hoc, Præfatiunculæ vice, præmittit: Omnium hæctenus Poeseos generum præcepta tradita sunt, eaque Poeta-

O2

rum

rum veterum Ethnicorum exemplis confirmata. Quoniam autem Institutionum hic Poëticarum Liber Mexicanis conscribitur adolescentibus præclara virtutis indole atque ingenij laude præstantibus, quorum est ut ad cæteras artes & illustria sapientiæ studia, ita etiam ad hæc mira propensio & cum facilitate felicitas; quique suam hujusmodi facultatem in Dei præsertim Opium Maximi ac Deiparæ Virginis & Sanctorum laudibus exerceri gaudent: placuit non nulla Christianorum Poetarum illustrium exempla proponere. Libri titulus sic habet:

Poëticarum Institutionum Liber, varijs Ethnicorum Christianorumque exemplis illustratus ad usum studiosæ juventutis: Per Congregationem B. M. V. Anuntiata in Soc. JESU Collegij Mexicani Gymnasij Authoritate Apostolica institutum, collectore ejusdem Soc. Sacerdote, qui eidem præsidet Congregationi. Mexici, apud Henricum Martinez 1605. in octavo. Nomen autem quamquam Author latere suum voluit, P. Petrus Flores ejusdem Soc. ingenioso epigrammate aperuit, alia inter aliorum, præfixo Operi, quod his numeris Bernardinum Llanos prodidit.

Floribus hunc lustrans varium vernantibus hortum,
Illustris Authoris nomen abesse Hortum sed lustra, justoque medere dolori,
Hanc & cum reliquis floribus ipse dabit.

Clarius id rogitas? En justis annuo
En omnes, at non ordine reddo
Is si non nardus certe nardinus
ipse
Ver, & nos inter jure la, Sol ve
tener.

Porro instituendis in universa Poësi juvenibus exempla pulcherrima & optima una cum præceptis ac regulis brevitate & perspicuitate nobilibus si quis optat, hocce in fasciculo ad delicias inveniet, obscænis procul amandatis, quibus Ethnicorum scætere Libri solent, & Lectorum animos conspurcare. Extat ejus memoria in Menologio Provinciæ Mexicane die 2. Octobris.

† 604 D. BERNARDINUS PENELO, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, Præbyter Secularis, & Paræciæ de Xalazingo præfectus, Theologicis, quibus erat instructus litteris, egregiam in Mexicanâ linguâ peritiam adjecerat, quâ ulus scripsit pro Sacrorum administratione

Enchiridion seu Manuale Mexicanum.

De quo memoria sunt in Allegationibus editis, tacito loco & anno, pro Clero Angelopolitano pag. 80. col. 2.

605 FR. BERNARDINUS SAHAUNTINUS, Natione Hispanus, in Oppido unde cognomen ipsi inditum, fortius cubanula, Salmanticensi Universitati Schola-

res

res inter adscriptus, Sodalibus Franciscanis de Observantia regulari in Provincia Cantabriæ sacramento se junxit, unde anno 1529 in Mexicam S. Evangelij, tunc Apostolico coalentem Spiritu, commigravit, atque ad obitum usque in ea totos annos 61 operarium Apostolicum egit. Vicennio primo aliquibus præfuit Cænobijs, quod à se onus deprecatus est, ut reliquum vitæ tempus, hoc est, 41 annos prædicationi, confessionum auditioni, & Librorum scriptioni totus vacaret. Erat ille certè non modò in Philosophiâ & Theologiâ, sed verò etiam in alijs Scientijs eruditissimus, quo nomine, ubi Imperiale S. Crucis Collegium ad Tlaxeloleum pro Nobilium Indorum institutione conditum fuit, Lector est destinatus una cum alijs duobus & Doctissimo Fr. Joanne de Gaona, qui primas in docendo partes tenebat.

606 Ex quo huic traditus Atheno fuit, omnes ad extremâ ferme diem destinatus una cum alijs in proximo Templo è superiori loco Indos confluentes ut exciperent verbum Dei (quorum audiendis confessionibus sacris intentus erat) tum etiam puerulos, adultioresque juvenes in christianis & politicis, qui subinde legere & scribere, ejus operâ, didicerunt. Grammaticam, Musicam, Medicinam calluerant, idque genus ornamentis excoliti florere. In idiomate autem Me-

xicano penitissimè eviscerando nulli concessit, adeo ut eximij ejusdem idiomatis Præceptores Torquemada Betancurtiusque ad suam quisque ætatem palmam omnibus Mexicanæ scribentibus prætulisse non ambigant. Egregios idcirco Libros & sermonis proprietate & omnigenâ atque abdita gentis eruditione divites condidit, in quibus omnem retro Mexicanorum antiquitatem palam exhibuit, hispanum gentis dialecto sermonem adjiciens exponendi ergo Naturalia, Civilia, Religiosa Imperij vastissimi, animalia, plantas, insilia, pulcherrimæque alia quibus feracissima terra ditescit luxuriatque: Leges veterum atque mores pacis belli que tempore, causasque bellorum, tempora & exitus: prisam idolatriam & superstitionem, id que generis cætera usque ad expugnatum Hispanorum armis Mexicam Imperium, cujus geographiam minime præterierat.

607 Porro eruditissima isthæc Volumina, duodecim numero & Regia charta, noværentem perpetuo fortunam sunt passis: nam & vivente Authore obsistentes habuere multos, imprudenti propterea zelo eis repugnantes, quod vererentur offensionem Indis futura christianis obscenissima religionis monumenta illa: quo nomine vetustissimis etiam America nostræ Annalibus bellum indixere, peluissimis symbolis & figuris appositè ad res quaslibet

concinatis: & eodem Authore demortuo, immortale plane Opus, aut intercidit penitus & evanuit, aut si forsan alicubi extat, obscuro Hercle & ignoro in sepulcro contextum later, quod ab Authore, vix non inviti, manibus ad Chronographum Herreram in Hispaniam transmissum fuit, exiguo futurum usui homini Mexicani idiomatis nescio. Nam & si (quod Betancurtius observavit) Antonius de Herrera multa in Decades suas derivavit à Nostro hausta, perexiguus tandem is fructus est, ejus habita, ut par erat, ratione, quem grandia illa Volumina mole pariter & eruditione, utraque conscripta lingua tulissent: quæque varias Mexicanensium dialectos, phrasæque & formulas multiplices, quibus Idioma, fecundissimum certè, abundat, præferrebat, calentibus illud utilissimas.

608. Noster porro cavillos & obsecrationes nihil veritus, alios, nec jejunos, Libros, pertexit scribere, cautè tamen obloquentium calumnias declinans, ut in *Dictionary Trilinguis* Proæmio his verbis estatur: *Grammaticam historicam ad circ. hispanicè condidimus, ne dissidisse videamur ansam Rabbini; Qui saepe expugnaverunt me, à juvenute mea.* Interea loci, prætermittebat nihil, ut idololatriæ reliquiæ ab acrophitorum animis profus evellerentur, & quo erat insigni Catholica Fidei zelo, ut altiores ipsa radices, ageret, labori nulli

& industriae parcebat, verbo & scriptis ministros Evangelicos admonens, ut suo optime munere fungerentur. Ardori Religionis cæterarum exercitia virtutum adjecerat, tanta in illis constantiâ, ut nonagenarius etiam Maturinis & cæteris canonicis horis adisset in choro. Mansuetudine, humilitate, paupertate & comitate erat insigni, omnique religiosâ conspicuus virtute, quam ad extremum duxit; certiorque mortis factus, à Collegio Tlatelolcano, charissimis Indis suis convocatis & valedicens, in Cenobium maximum ductus, obiit in Domino nonagenario major 23 Octobris anno 1590 ibique sepultus, confluentibus mestissimis discipulis suis, Collegij S. Crucis alumais, multitudinèque funus lacrymabile omnibus, comitante. Scripsit quos memoravimus Libros, jure que nuncupaveris.

Dictionary Historicum Mexicano Hispanum duodecim grandibus, seu in charta Regia, Voluminibus distinctum. Nam & si Torquemada undecim dixerit, veremur facili prolapsione sui, Amanuensis, aut Typographi mendam irrepsisse, attestante Betancurtio duodecim Volumina fuisse, è quibus nonum Authographum ipse viderat Authore subcriptum manu, dicentisque ab Mexicano Pro-Rege D. D. Marchione de Villamanrique vix non extorta sibi duodecim Volumina illa ad Regem Catholicum trans-

mittenda pro cedendis ab Antonio de Herrera Historicis Libris Indiarum. Scimus Torquemadam etiam Tomum illum nonum penes se habuisse, nescientes autem, an Authographus fuerit, an exscriptus, alterum verosimilius existimamus, vel apographum historiolum de abductis à Bernardino duodecim Libris non præferre, quod Torquemada legerit, vel si legit authographum, lapsu memoriæ, calami, aut typographiæ undecim pro duodecim evasisse, Demum, ne hoc prætermittamus, nonus ille Tomus Authore subcriptione munitus, totus erat in Expugnatione Mexicæ exponenda secundis & emendatioribus curis, extabatque penes Auditorij Mexicanensis Decanum D. Joannem Franciscum de Montemaior, qui cum in Hispaniam secum adduxit imprimendum, ut rectis est Betancurtius, & cujus vestigium editionis factæ habemus nullum. Exemplar autem quod usui Betancurtio fuerat & forsan Torquemada, ubi in præsentiarum sit tam nos latec qua ubi duodecim Volumina delitebant.

Artem seu Grammaticam pro Mexicana Lingua addicenda.

Dictionary trilingue, Latinum, Hispanum, Mexicæ; quod voluntate attritum habebat Betancurtius.

Sermones per annum idiomate Mexicano conceptos.

Postillam in Evangelia & Epistolæ, quibus Ecclesia in Missis uti-

tur. Quod Opus eleganti juxta & detæcatissima conscriptum Mexicæ dialecto Betancurtius affirmat, unde ipse pulcherrimas periodos imberbit.

Historicam narrationem venientium primò Mexicæ Franciscanorum Patrum, libris duobus distinctam: quorum primus capp 30; secundus 29 complectitur: atque in eis *Collationes* continentur ab Apostolicis viris habitæ cum Sacerdotibus gentis & Sacrificulis, Hispano sermone & Mexicano, de Christiana Fidei Mysterijs recipiendis, abjiciendisque idolis, piè juxta & doctè magno cum notitæ Religionis emolumento, quam demum amplexati fuerit gentis Magistri. Hos autem duos Libros unâ cum sermonibus nuper dictis compaginatos esse retis est Betancurtius.

Psalmodiam seu spiritualia carmina de Christi Domini vitâ, Deparentis Virginis gestis & gloria, Sanctorumque actis, quibus Indi uterentur in sacris festis. Opusculum hoc upum fuisse è tot scriptis Nostri typis excussum, à Torquemada habemus, quod, ut multa alia minuta scripta à primis Ecclesiæ hujus Doctoribus, nullibi adhuc invenire poterimus.

Vitam S. Bernardini Senensis Mexicano translata idiomate dedit petentibus Indis Xochimilcanis, qui Sanctum hunc in Parochiæ tutelarem suam adsciverant, de qua Torquemada & Betancurtius fidem faciunt.

Expositionem paraphrasticam Symboli S. Athanasij.

Expositionem alteram ejusdē Symboli dialogi stylo.

Concionem post Baptisma parvulorum ad circumstantes.

Lac spirituale.

Baculum spirituale.

Lumen spirituale.

Speculum spirituale.

Cibum spirituale ac solidum.

Scalam spirituale.

Fructus spirituales.

Regulam Conjugatorum.

Præcepta ipsorum.

Impedimenta Matrimonij.

Doctrinam pro Medicis.

Tractatum de septem collationibus admodum pro moribus utilem.

His quæ à Torquemada & Berancurtio mutuavimus, eorum neutro omnia in sillabum redigente, adjicimus

Sermones varios de Dominicis & Defunctis idioma Mexicano pro Indorum capti formatos, è nulloque Sermonario, ut dicitur, traductos, quos Authographos vidimus Tomis duobus Regia charta in Bibliotheca ad S. Jacobi de Tlatolco Franciscanorum.

Supra memoratis adjecit F. Joānes à S. Antonio in Bibliot. universa Franciscana tom. 1. pag. 214.

Historiam universalem Novæ Hispaniæ in 12 libros distributam. Mss que inquit asservari in Toloſano Conventu Cantabricæ Provinciæ Tomis quatuor.

Insuper Sermones pro Immacula-

in Conceptione V. Mariæ, quorum meminit Alva col. 185. sequutus Marracium.

Præter citatos meminere Nostri Nicolaus Antonius, Wadingus, Arcturus ad diem 23 Octobris Martyrologi Franciscani § 24 & Moreri in Dictionario magno historico. Pinelus in Epit. Bibliot. Occid. col. 715 in eo lapsus quod crediderit Betancurtium asserere duos illos Libros, quorum alter 30 alter 29 capp. constat unà haberi cum tom. 9. Dictionarij maximi in Hispaniam adducti à Senatore Montemaior; cùm tamen Betancurtius Libros ipsos Postillæ in Evangelia & Epistolas adjacere asseruerit. Cæterorum Operum memoriam habet col. 720. 721. 739.

† 609 D. BERNARDINUS DE SALVATIERRA ET GARNICA, Natione Mexicanus ac Patria, Universitatis Alumnus, & in Poetica Facultate excultus & doctus, patrio sermone hispanisque numeris edidit

Descriptionem spectaculorum queis Mexicana Civitas festissime lustit plaudendi ergo instauratam Hispanorum armis & Philippo V restitutam Catholico Regi Oranam in Africa bellis edem. Mexici, typis H. Michaëlis de Ribera 1732 in quarto.

Metricam Historiam apparentis miraculo Imaginis Deiparentis V. Guadalupie. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1737 in quarto.

Ejusdem Deigenitricis sub floride

Gua-

Guadalupie. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1737. in quarto.

Ejusdem Deigenitricis sub floride Guadalupana picture sipario cultæ Mexicem Patronatum descriptum, præsitumque juramentum carmine celebratum. Mexici, in eadem Typographia 1737. in quarto.

610 F. BERNARDINUS DE VALLADOLID, cujus Natio & Patria incerta nobis est, Mexicanus saltem Domitilio, quod apud Jucatanenses fixerat, Ordinis S. Francisci in Provincia, quæ inibi floret, de Observantia Regulari alumnus, multis jure nominibus à P. Cogolludo in Historia ejusdem Provinciæ lib. 12 cap. 24 pag. 755 laudatur: Quod scholasticas theses, singulari studio plausuque, Jucatanico idiomate propugnaverit: quod eadem usus linguâ mirum in modum dicere coram Indis usu tenuerit: quod Hispanos maternâ dialecto è superiori loco docuerit: quodque eruditissimum elucubrare, mox recensendū, Opus aggressus fuerit, magnamq̃ partem solerter ornaverit. A secretis Provinciæ cùm esset, casu præceps actus per gradus scalar, morbis inde multis vexatus, pelle vix ossibusque hærebat, donec floridissimum litteris & atate virum (agebat enim annum 35) mors decerpit sacramentis munitum, & Religioso dignâ præparatione 10 Octobris anno 1652. Scripserat

Dioscorides magnam partem idioma Jucatanensi, atque, ut erat

simplicium gnarus plurium, quæ inibi Regionis nascuntur, de quibus Dioscorides, singula expresse- rat penicillo, Latinæ voci Hispanam adjiciens, & quæ huic respondet, Jucatanensem, secundum hæc Dioscoridis scriptum vertens, ut præcatus Cogollodus testatur, atque ex eo Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 215. Itemque Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis tom. 2. col. 722. inter Scripta Nostri numerans

Conclusiones de Sacramentorum omnium materijs latino juxta & Jucatanensi sermone.

611 ILLMUS. D. D. BERNARDINUS VILLALPANDO, Natione Hispanus, Evoræ Talabricæ ortus, Ecclesiæ Cubensis Episcopus 20 Aprilis anno 1559 à Catholico Hispaniarum Rege Philippo II præsentatus, in Goatemalensem promotus anno 1564 inclyto viro D. Francisco Marroquin, qui primus eam rexit & considerat, suffectus est. Quod autem traditas Religiosis viris à Decessore suo curandas Parochias, ad Seculares revocare Clericos vehementius tentasset Concilij Generalis Tridentini non ita pridem absoluti Decretis insistens, administrationibus illis abnuentibus (quæ deinceps Statuta pro Indijs à Pontifice Summo dispensari Catholicus Rex impetravit, uti in *Alphonso à Vera-Cruce* diximus) turbæ sunt mortæ, pluresque ad Regem queri-

monia delata, quibus Noster postulabatur. Dicitur, eam ob causam graves ad ipsum litteras Philippum II dedisse, quas ubi ille accepit in Oppido S. Anne dicto, quò declinaverat, testatus se paratum esse Deo rationem reddere de ab eo sibi commissâ Ecclesiâ, illico exspirasse anno 1569. Scripsit

Synodum Goatemalensem,

Cujus Authographum nullibi inveniri, temporum injuria deperditum, testis est, qui Goatemalensis Ecclesiæ monumenta in lucem commisit F. Raymundus Leal pag. 43. Noltri Historiam brevè conscribens, quam similiter fecerat Ægydius Gonzalez Davila in Theatro ejusdem Ecclesiæ pag. 153.

612 ILLMUS, D. D. F. BERNARDUS DE ALBURQUERQUE, Natione Hispanus, agnomen juxta & incunabula ab Urbe insigni Comitatu notissimâ accepit, reticujque nobiles, quoad vixit, Parentes, censu etiam minimè obscuros: nam Complutum, Academiam toto Orbe celebrem, ab ipsis studiorum causâ dimissus, randiu inibi altus est, quandiu humanioribus imbutus litteris, Philosophiam itidem optimè imbiberat & Theologiam. Virtutes interca non minori studio coluisse inde est, quòd egregiè addictus humilitati solum mutaverit, seque in Salmanticam eo consilio transtulerit, ut ignotus latere posset, perindeque haberi ac

litterarum inscius. S. Stephani Dominicanorum insigni Cœnobium adivit, Laicisque professione aggregari toto nisu curavit, ejus ut compos voti fieret Novitij adscriptus & abjectis Laicorum ministerijs, charus omnibus indole & virtute pergebat, aliquibus doctrinam ejus subodorantibus, quòd lubens de litteris colloquentes audiret, donec forte duobus coram eo Scholaribus in horto de Theologica difficultate acriter contendentibus, vix que non iratis nimium & sibi infensis, eos conciliandi gratiâ allocutus, S. Thomæ eorundem Magistri mentem in eo puncto aliorumque sensus aperuit, tam ad rem scitè & appositè, ut mirari eruditionem hominis abditam, statim eam ad Conventus Priorem detulerint, qui subinde reluctanter prius, mox parentem obedientiæ Laicum, ab eo, quem delegerat, statu in Clericalem, resumpto tyrocinio, annuentibus Sodalibus omnibus, retulit.

613 Emissâ solenni professione inflauratisque studijs, litteris unâ ac christianis virtutibus incrementa dedit egregia, dignus qui Sacerdotio initiatus fuerit. Tum verò, optantibus Sociijs pugilem ad Palæstram Minervæ traduci, Cathedrisque præfigi moderandis, alia ipse omnia cogitans, in recens detectum Novum Orbem florentemque in eo Sanjacobeam Provinciam migra-

Mexicanæ Provinciæ Prioratum fuerat evectus, Prior item fuit institutus, donec 9 Septembris anni sequentis Provincialis fuit renunciatus, quo ille functus est munere, insigni religiose observantiæ zelo & emolumento, usque ad 20 Septembris 1556.

615 Interea loci, Antequerenfî Ecclesiâ orbatâ Prælaro, eisdem præficitur, Catholico Hispaniarum Rege Philippo II designante, & Pio IV anno 1559 ejus in Episcopum electionem probante & confirmante. Reñuebat quidem infulus humillimus homo, præcipienti tamen Provinciali, sub censurisque, ut acquiesceret, comminanti, quamvis oblectari prudenter caperit, eo quidem nomine, quòd nuncupatum obedientiæ votum ad istiusmodi extra Familiam onera sustinenda Religiosos adigere non posse videatur, paruit tandem, atque ejus & Sodalium votis acquievit. Ne verò Ordini se & alterius arbitrio subduceret in Episcopali dignitate, Socium sibi petivit Fr. Petrum del Castillo, cui in Confessarium adlecto, volens lubensque tam demissè semper promptèque obtemperavit, quam in tyrocinio obsecundare & deinceps Superioribus suis confueverat.

616 Erat quidem egregiâ Religiosus ille virtute, præduriori tamen genio, & ad frangendum se & illum aptissimo, cujus proinde disciplinâ Episcopus he-

gravit anno 1555 sequutus P. F. Dominicum de Beranzos, Clarissimum sanctitate virum, Sodalisque eodem insignes nomine, ut Torquemada scribit loco inferius laudando. Mexici constitutus, brevi Zaapotecanæ genti, multis distra parafangis, apud Goaxacenses adhuc inculte, Minister destinatus, idiomate imbibendo tam incubuit diligenter atque feliciter, ut Christianam doctrinam eo usus scriptis tradiderit & concionibus, Indorum institutioni ex animo deditus, quos eximia pietate complectebatur, omnibusque Apostolici officijs viri erudiebat, fovebat, curabat.

614 Sunt Zaapotecanis termini Mixcani, uti præruptis & asperimis montibus abditi, sic etiam injucundâ pronunciatu que stridenti linguâ, barbarâque consuetudine formidandi: & his etiam Parentem se exhibuit, mansuetudine & cæteris dilectionis ac benignitatis dotibus acceptissimum. Porro, multos in Apostolico munere postquam annos posuerat catechesi, prædicatione, sacramentorum administratione, exemploque austerissimæ vitæ Indos nuper ab idolis abstractos in Christo Jesu generans & enutrens, Vicarius Cœnobij Antequerenfî primas inter Goaxacensia tenentis, creatus est labente Majo, aut ineunte Junio 1547. Ex inde anno 1552 quo tempore idem Conventus in secundum

roicis planè obedientie, demissionis, patientiæ exemplis eminuit: nam sæpe inter prandium deficienter pane, frustulum illi Socius porrigebat, quò satis provilum esse monebat, oportereque ita compendium facere pro egregio quod cogitabant ac moliebantur opere: sæpe detrito habitu & laerato, Episcopi ipsius faciendo manibus, tegumentum è veteri panno tribuebat, eandem occinens cantilenam, semperque & in minutissimis tergiversatus homo difficilis, nec nisi gravatè pecunias cateraque concedens. Eo autem nomine isthæc Nostræ patientiam durius vexabant, quòd ut largius subveniret egentibus, clam esset acturus, veritus Socij pedagogique increpationes. Nihilò tamen minus miseris stipem erogabat, qua destitutus, si quid promptum erat, habitum licet majori pretio, libens tribuebat. Vivebat quidem ille parcissimè, & præter Socium duosque ephobos Indos & coquum, nullis familiaribus utebatur; atque hac perpetuo methodo adhibitâ, proventibus tenuissimis reservatis (erat enim angustissimo censu Goaxacensis Ecclesia eo tempore, nec in præsentiarum ditissima est) tandem aliquando Cœnobiùm extruxit à fundamentis pro sacris Virginibus, quod à Matre Dei & S. Catharina Senensi nuncupatum, Apostolicâ sibi commissâ auctoritate amplissimis Bullis, condidit eximiâ ro-

tius Antequerensis Urbis gratulatione, seque cum utroque Clero supplicationem comitante, ad aras faciente, & Sanctimoniales religiosè instituente mensè Januariò anno 1576.

617 Fuerat quidem cunctis gratissimus, Indis autem in primis, qui se ab illo edoctos christianis sacris profitebantur, gestiebantque Parocho suo & Magistro in Pontificem ipsis, ab eo qui Catholicam moderatur Ecclesiam, dato. Quo in genere luculentissimum reverentiæ & gratitudinis Regiâ dedit scemina testimonium, Magdalena nomine, legitima neptis Zaapotecani Regis, cujus in ditione florebat Regnum Teguantepeque, gentis multitudinè opulentiaque insignè. Erat quidem Mulier egregijs præclara dotibus, cum christianæ virtutis tum etiam prudentiæ & ingenij, tantaque ab avitis Regibus majestatis, ut clientes fiduciarij ejus, coram ipsa transeunte, flecterent genua, in cujus vultum oculos advertere non auderent. Hæc ubi Episcopum, visitandi Provinciam ergo, intra sua confedisle pomaria scivit, primum intimiores sibi gentisque nobiliores dimissit, ejus qui nomine faustum ac felicem Pontifici suo adventum auspicarentur; mox ipsa amplissimo comitatu plusquam ducentis Proceribus stipata ac Dynastis, Cœnobiùm, apud quod ille hospitabatur, adivit, ad cujus januâ aulam mul-

ro ab Indis ornatu dispositam, Nolter Religiosis, Hispanisque viris comitatus processit, Principem scemina excepturus. Genua hæc religiosissimè posuit, nec assurgere prius voluit, quam pontificiam manum oscularetur eximiæ pietatis indicijs, & christiano ritu benè ipsi ille precaretur. Ad hæc, paratum à famulis scabellum rejecit, tapere contenta super pavementum strato; Episcopus tamen suum illi pulvinar, ut federet, apponi jussit, quem ipsa honorem maximi fecit. Tum urbanissimis utrimque colloquijs Zaapotecanâ linguâ institutis, Magdalena imperio præventi ejusdem accessere servi complures, monilibus, aureisque & argenteis donarijs onusti, exquisitis plumis ac pellibus Leonum Tigridumque exuvijs arte concinnatis, idque genus muneribus magno pretio æstimatis, quæ illa in obedientiæ & gratitudinis testram offerebat Episcopo. Is verò magnificentiam gratificatus scemina & liberalitatem, pellibus aliquot sibi sumptis, quas mox donavit, cætera ut in pauperes ditissima Mulier erogaret, familiarî redundantique ipiritu concione persuasit.

618 Adhæc, ipse perinde quasi Dominicanorum claustris teneretur, agebat, vestitu, mensâ, observantiâque tam ad regulares leges exactâ, ut media etiam nocte ad recitandas Ecclesiasticas preces surgeret, visitationi quo-

que intentus Diœcesis, & in Opiculidulis diversatus, in quibus non nunquam lumen mutuaturus prolegendo Breviario, in focum ipse ibat concubiâ nocte. Aspera quæque pedes etiam aggrediebatur, ut Indorum aliorumque provideret saluti & incolumitati, nihilque nisi Deum irrequietâ in officio sollicitudine cogitabat. Denique vicennio Ecclesiâ sua sanctissimè gubernatâ, sacramentis munitus, ad æternam quietem volavit 26 Julij 1579, sepultus que in Antiquo Dominicanorum Conventu, qui hodie Soriani aut S. Pauli dicitur, inde anno 1609 in Monasterium S. Catharinæ, quod ipse construxerat, translatus, prope aram maximam fuit constitutus. Scripsit

Doctrinam christianam, seu de Catholica Fidei nostræ mysterijs, & pro ministrandis sanctis Sacramentis formulas, eorumque effectus idiomate Zaapotecano. Insignè, perutile, imò etiam pro Indorum Ministris necessarium Opus eo tempore, quo inculta adhuc erat difficillima lingua, quodque merito esserunt laudandi Historiographi.

Adjici scriptis ejus debent *Statuta & Constitutiones auctoritate Apostolicâ SS. D. N. Gregorij XIII pro Monialibus Cœnobijs sui, mox dicti, condita,* quarum meminit citandus Burgoa. Nostræ alteriusque scripti ejus meminerunt Illust. Davila Padilla in Historia Provinciæ Mexicanæ S. Jacobi lib. 1. cap. 93. M. Burgoa

in Historia Provinciae Goaxacensis 2 part. à cap. 15 usque ad 18. Agydus Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiae Goaxacensis p. 223 usque 226. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecae Occidentalis tom. 2. col. 733. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 15 cap. 17. Episcopus Monopolitanus, & alij apud Scriptores Ordinis Praedicatorum tom. 2. ad annum 1579. pp. 251 252.

619 D. BERNARDUS ANTONIUS DE LEIVA, Natione, ut videtur, Mexicanus, ut minimumque Domicilio Angelopolitano, Caesarum Patronus, edidit vernaculo sermone

Dissertationem juridicam pro cuiusdam Matrimonij, de cuius valore agebatur, nullitate ab Ecclesiastico Iudice declaranda. Angelopolit. typis V. Michaelis de Artaga. 1726 in fol. Extat tom. 3 Collect. Mendozianae.

620 F. BERNARDUS DE ARATIA, Natione & cunabulis Mexicanus, Ordinis S. Francisci alumnus, & Provinciae S. Evangelij filius, ejusdem Pater aliquando tandem merito evasit. Scholae palestram alacriter à teneris annis aggressus, diu consecratus est. Lectoris Philosophiae muneri per triennium incubuit, Cathedrasque Theologiae totos annos 12 moderatus est & professus egregio inter viros Academicos nomine, demumque Emeriti lauræ exornatus. Adhuc

Concionatoris ita frequentissime onera subijce, ac si illi se professioni addixisset, doctè & crudite hanc petinde ac scholasticam spartam adornans. Apostolici Notarij titulo insignis, & Censoris apud S. Inquisitionis Officium honore præclarus habetur. Provincialis electus Clarissimae Provinciae suae, ejusdem ita regimem tenuit, ut & Regulari Observantiae & litteris vigilaverit; qua defunctus Praefectura, alijs jussus insistere, ad Cœnobium de Xochimilco dictum in Mexico conditum Lacu, Guardianum agit in praesentiarum. Amicitia ut est nobis conjunctus & veteri Gymnasiorum consuetudine, quantum proprias refugiat laudes scimus, quæ propterea supersedemus. Scripsit

Cursum Philosophicum ad mentem Subtilissimi Doctoris Scoti.

Tractationes Theologicas varias. Sermones panegyricos & morales.

621 ILLMUS. D. D. BERNARDUS DE BALBUENA, Natione Hispanus, apud Valdepeñas Toletanae Diocesis Oppidum natus, à primis annis Mexico petijt, in qua studijs excultus Humanitatis, Philosophiae item atque Theologiae, post diutinum nostrates inter Domicilium, Hispaniae restituit sese. Quod verò sumptus pro capeffendâ Doctorali lauræ in Universitate Mexicanensi, ejus in Gymnasijs litteras imbiberat, egregiumque

libi

sibi nomen paraverat, largiores essent, quam ut illi suppeterent, Serguntiae Doctor, Theologus inauguratus fuit, maximique habitus ab egregiâ doctrinâ. Latuit quidem Domicilium studiumque Mexicanum hoc Nostri & Agydium Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiae Portudivitensis & Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispaniae nova, ipsum & scripta laudantes, quod hæc inter *Magnalia Mexicea* retulerint quidem, at non legerint, hoc est, Librum eo titulo insignem, Mexici editum à Bernardo anno 1604 typis Melchioris de Ocharre: in quo Libro conceptissimis verbis, quæ memoravimus studia Mexici à se imbibita varijs ipse modis exposuit: nam fol. 31. col. 1. Collegio se, è Mexicanis uno, adscriptum testatur: tum subjungit, quo tempore studijs inibi vacaret, ter instituto certamine Poetico, lauream se & præmium tulisse: primum quidem in Festo Corporis Christi Domini coram Mexicani Concilij Patribus & Episcopis septem, Præsidente Archiepiscopo D. D. Petro Moya de Contreras, solennissimè acto, & appositis numeris celebri, quos autem ipse in Theatrum produxerat col. 2. ejusdem folij totoque sequenti usque ad primam col. f. 33. assert. Mox ibidem & sequenti col. aliud excipit Poema, quod ad Musarum Judices ipse detulit, spectaculorum causâ, quæ agebantur ho-

noris ergo venienti Mexicano Pro-Regi Marchioni de Villamanrique. Tandem fol. 35 & sequentibus, tertiam exponit poemam Philippo II. Hispaniarum Regi dicatam, quod virum Clarissimum D. Ludovicum de Velasco optatissimum Mexicanis Pro-Regem dedisset. Ne tamen solem facibus adjuvemus, alijs oportet superfedemus, Lectores ad Librum remittentes, qui cum totus in aperiendis Mexicanae Urbis magnalibus sit, hæc ita amoenissimis carminibus ponit ob oculos, quasi qui Mexicum, ut dicitur, in oculis ferret, quam attentissimè circumspexerat, cuique grati significationem animi cultissimo Opusculo exhibuit. Longius forsitan in hisce morati videbimur cuiquam, nisi duo quæ subdimus advertenti alterum, è re nostra esse eximium nobis hominem vindicare, quem Collegia nostra instituerint atque Gymnasia: alterum, oportere ejus tridem gloriam aperire omnem, etiam à juventute haustâ, qui nostratum palam aperiendis dotibus vigilavit. Nec porro ipse Oratoriâ minus floruit laude, quam poetica, omnigenaque spectabilis doctrinâ Ecclesiastem egit insignem.

622 Abbatis egregio donatus munere 23 Aprilis 1608 Insulæ Jamaicae Americae nostrae, duodecim in ea annos exegit. Mox 23 Januarij 1620 Episcopus Portudivitensis electus, tertio dein anno suæ se stitit Ecclesiae.

R2

Ab